



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

[ii].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

excluduntur eductiones formarum ex materia eductarum pro eodem tempore, quo hæc creatur; harum enim in materia non præexistit privatio) vel etiam quatenus subjectum per motum relinquitur in potentia ad formam pro illo priori naturæ, quo motus seu actio productiva formæ formâ prior est.

II. Motus est varius; vel enim est generatio, vel nutritio, vel augmentatio, vel alteratio, vel motus localis, prout est vel ad substantiam primò producendam, vel augendam; vel quantitatem augendam; vel ad qualitatem; vel ad ubi. Alius item est motus instantaneus, cujus terminus totus simul producitur, ut generatio ignis: alius successivus, per quem acquiritur terminus successivè, & una pars post aliam, ut productio caloris in ligno ob frigus resistens, quibus caloris partibus aliis post alias productis correspondent partes actionis, fluentis, quæ singulæ sunt propriè motus, cum supponant illius partis, quam producant, privationem in subjecto. Erit autem motus instantaneus, etiam materialiter acceptus, essentialiter diversus à successivo, si motus identificetur durationi; implicat enim durationem, quæ essentialiter
fluens

fluens est, utpote affixa tempori fluenti, fieri permanentem.

III. Specificatur motus à principio, passo, & termino ad quem, sive per motum producto. Contrarietatem desumunt motus ab oppositione terminorum per motum productorum: sic actio productiva caloris ut octo opponitur frigefactioni productivæ frigoris ut octo, motus orientem versùs motui occidentem versùs. Motibus autem contrariis simul nihil moveri potest, cum terminos per tales motus productos simul recipere nequeat: dum ergo homo attollit brachium unum sursum, alterum deorsum, anima movetur motibus contrariis, sed inadæquatis secundùm diversas ubicationis partes, si ubicatione animæ rationalis est divisibilis; vel movetur in hoc casu uno indivisibili motu, tendente ad unicam indivisibilem ubicationem diversam à priori, si ubicatione animæ sit indivisibilis. Ambulans quis versùs orientem in navi defluente versùs occidentem, si celerius ambulet, quàm navis defluat, movebitur unico motu orientem versùs, si minùs celeriter; movebitur unico motu versùs occidentem, si æquè celeriter, conservabit præsentiam suam localem in eodem spatio.

i

IV: